



Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Actorvm Ecclesiae Mediolanensis, Pars Tertia - In Qva, Liber Memorialis Ad
populum Ciuitatis, & Dioecesis Mediolanensis, A Beato Carolo Borromaeo
Titvli Sanctae Praxedis compositus continetur

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

Alia eiusdem generis, si collatio facienda vt vigore literarum
Apostolicarum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10502

Eadem formula valet etiam in præposituralis Ecclesiæ, cui animarum curatio annexa est, collatione.

Formula literarum, cum primùm quis ad stationem parochialem accedit, habetur supra in Concil. v. prouinc. pag. 270.

Formula literarum collationis
Canonicatus.

CAROLUS &c. Dilecto nobis in Christo N. Mediolanen. salutem in Domino. Cū sicut accepimus, canonicatus & præbenda in collegiata Ecclesia S. N. loci N. nostræ Mediolanen. dioc. quos alias Reuerendus Presbyter N. per obitum &c. vacauerint & vacent ad præfens; nè diuinus cultus in ipsa collegiata Ecclesia detrimentum pariat, prouidere volentes: Tibi N. Mediolanen. cuius vita, & morum probitas, aliaque laudabilia probitatis & virtutum merita, tum nobis ipsis nota sunt, tum etiam aliorum fide digno commendantur testimonio; præfatos canonicatum & præbendam, cum illis forsan annexis, ac omnibus iuribus, & pertinentijs suis vniuersis, conferimus & assignamus, de illisq; te coram nobis propter hoc flexis genibus humiliter constitutum & acceptantem, per birreti capiti tuo impositionem, cū iuris canonici plenitudine inuestimus. Quocirca vniuersis & singulis personis Ecclesiasticis, notarijsq; ac tabellionibus publicis ciuitatis & diocesis nostræ Mediolanen. in virtute Sanctæ obedientiæ, ac sub penis & censuris contra inobedientes superiorum mādatis a iure inflētis, & arbitrio nostro infligendis, per præfentes præcipimus & mandamus, vt cum pro parte tuā vigore præfentium requisiti fuerint, vel eorum aliquis requisitus fuerit, ad ipsam collegiatam Ecclesiam dicti loci N. accedat, teq; vel procuratorem tuum pro te, in corporalem realem & actuaalem possessionem prædictorum, canonicatus & præbendæ, ac vniuersorum illis annexorum, iuriumq; & pertinentiarum prædictorum seruatjs seruandis, inducant auctoritate nostra, & defendāt in-

ductum, amoto exinde quolibet illicito detentore, quem nos etiam harum serie amouemus, & denunciāmus amotum. Mandantes Reuerendis DD. præposito, canonicis, & capitulo prædictæ collegiatae, vt te in canonicum & confratrem recipiant & admittant, stallo tibi in choro, & loco in capitulo, cum dicti iuris canonici plenitudine, assignatis. Fictabilibus verò colonis &c.

Si contigerit, eum cui prouidetur, aliud incompatible beneficium obtinere, addatur idem, quod supra in collatione parochialis.

Alia eiusdem generis, si Collatio facienda sit vigore literarum Apostolicarum.

CAROLUS &c. Dilecto nobis in Christo N. clerico Mediolanen. salutem in Domino. Cum per te nobis præsentatae fuerint literæ apostolicæ Sanctissimi in Christo patris & domini nostri D. Gregorij diuina prouidentia Papæ XIIII. in pergameno scriptæ; eius verò bulla plumbea cordula canapis, more Romanæ curiæ pendente bullata, quas nos, ea qua decet reuerentia recepimus, & sunt tenoris infra scripti, videlicet: [Gregorius Episcopus seruus seruorum &c. ven. fratri Archiepiscopo Mediolani &c. (& ponatur tota bulla & cæt.) & successiue debitam instantiā nobis feceris, vt ad ipsarum literarum executionem procederemus, iuxta traditam seu directam per eas a Sede Apostolica nobis formam: Nos igitur volentes mādatum apostolicum nobis in hac parte directum reuerenter exequi, vt tenemur; te prius per diligentem examinationem de te factam ad hoc idoneo reperto, verificatisque contentis in præinfertis literis apostolicis, auctoritate apostolica nobis commissa, qua fungimur in hac parte, præfatos canonicatum & præbendam, sic, vt in dictis literis apostolicis vacantes, cum illi forsan annexis, ac omnibus iuribus & pertinentijs suis vniuersis contulimus, & assignauimus, ac conferimus & assignamus, de illisque te coram nobis propter hoc flexis genibus humiliter constitutum

tum & acceptantem, per birreti capiti tuo impositionem, cum iuris cauonici plenitudine inuestiuimus & inuestimus per praesentes. Quocirca &c. [vt supra in collatione parochialis.] Mandantes praeposito, &c. Fictabilibus vero &c. vt tibi, vel procuratori legitimo de praedictorum canonicatus & praebendae, illisque annexorum iuriumque ac pertinentiarum fructibus, redditibus &c. quatum in se fuerit, responderi faciant, in omnibus & per omnia, iuxta praesentiarum literarum Apostolicarum vim, tenorem, formam, & continentiam. In quorum &c. Dat. &c.

Formula institutionis Capellae de iurepatronatus.

Carolus &c. Dilecto nobis in Christo presbytero N. Mediolanen. dioc. salutem in Domino. Cum nuper nomine Magnifici Domini N. patroni & aduocati, ex fundatione & dotatione, & seu restauratione cappellae Sanctae N. loci N. plebis N. Mediolanen. Dioc. ad praedictam cappellam, per assecutionem alterius beneficii Curati ven. Presbyteri N. illius ultimi possessoris, [seu] per obitum, [vel] resignationem, vacante, coram nobis praesentatus fueris; petierisque huiusmodi praesentationem admitti, & canonicam institutionem tibi fieri; & deinde seruatis seruandis coram nobis de iurepatronatus huiusmodi constititerit; demumque de mandato nostro per Reuerendiss. Patres examinatores in Synodo dioecesa. Mediolanen. deputatos examinatus ad praedictam cappellam, idoneus repertus fueris: Nos tam auctoritate nostra ordinaria, quam alias omnibus meliori modo, iure, via, causa, & forma, quibus melius & validius possumus, recepto prius a te iuramento iuxta formulam in Concilio prouinciali primo Mediolanen. praescriptam, de non alienando bona dictae cappellae & alienata recuperando: necnon de parendo mandatis nostris, ac pro tempore futuri Archiepiscopi Mediolanensis in praedicta capella, sic vt praesertur vacante, ad praesentationem praedictam instituimus, teque coram nobis propter

hoc flexis genibus humiliter constitutum & acceptantem, per birreti capiti tuo impositionem de dicta capella inuestiuimus, ac inuestimus per praesentes. Quocirca vniuersis & singulis personis Ecclesiasticis, notarijs &c. [vt supra in collatione parochialis.]

Formula iuramenti ab ijs praestandi, qui ad beneficia de iurepatronatus, aut alio quouis modo praesentantur, Habetur supra in Concil. 1. prouincial. pag. 14.

Formula literarum deputationis Rectoris pro administratione alicuius Ecclesiae, cum facultate curam, & sacramenta ministrandi.

Carolus &c. Cum pro recta administratione Ecclesiae B. V. M. loci N. plebis N. nostrae Mediolanensis Diocesis, ad quam pietatis & deuotionis ergo frequens est fidelium concursus, Rectorem spectata morum probitate, prudentia, & diligentia praedicere consueuerimus: Te, cuius fides, pietas, prudentia, & probitas, iam diu nobis perspecta est, eidem Ecclesiae, & religiosae Domui Rectorem harum literarum serie constituimus, praeficimus, ac deputamus: cum ampla facultate, tam in temporalibus, quam in spiritualibus, administrandi, gerendi & gubernandi pia fidelium vota, & oblationes recipiendi, & dispensandi in vsu Ecclesiae, & domus praedictae, ac illi annexorum & pertinentiarum eorundem curam habendi. Insuper animarum curam in parochiali Ecclesia ibi proxima loci N. ac Ecclesiastica Sacramenta ministrandi, cum simili assignatione, & dispositionis potestate omnium & quorūlibet fructuum, prouentuum, ac obuentionum praedictae parochiali quomodo libet spectantium, his nostris concedimus, ac impartimur facultatem. Mandantes omnibus & singulis Fictabilibus, Massarijs, Colonis, & Arendatarijs bonorum, fructuum, redditum, & obuentionum eiusdem parochialis, ac praedictae Ecclesiae B. V. M. de N. ac alijs ad quos spectat, vt tibi, vel cuilibet per te, de ipsius parochialis, ac Ecclesiae de N. fructibus